

Prima vero ineuntis anni die, quod Galli, qui ad Carpos municipium se receperant, in Setiæ fluminis ripa, quod auctum imbribus transiri vado non poterat, singulis se se horis ostendebant, atque a nostris, qui trans flumen eam regionem tenebant, ita vulgo conspiciebantur, ut etiam colloquia ex utraque ripa inter se haberent; Paulus legatus noctu ponte celeriter in naviculis confecto, suarum copiarum partem cum Troilo Sabello bene mane flumen trajecit, atque in primum Gallorum agmen, quod ad flumen veniebat, impetu facto, eos fudit fugavitque, interfectis captisque non paucis. Eo timore perculsis reliquis, nocte intempesta universi Regium Lepidi versus abierunt. Julius suos duces nihil omnino amanter, nihil ex re agere cum videret; omnes autem moras, omnia impedimenta ei bello interponere illos non ambigue cognosceret: unum Capellum ejusque fidem atque animum summis laudibus prosequens, statuit se ad exercitum conferre, ut Mirandulam oppidum munitissimum præsens oppugnaret: quo capto facilius posse se Ferrariam obsidere, suæque ditionis eam facere confidebat. tametsi illud etiam cogitaverat Julius, cum Ferrariæ appropinquavisset, se Hippolytum Cardinalem Alfonsi fratrem ad colloquium evocaturum, qui fratrem hortaretur, uti bello finem imponeret, ne damna ultima perpeti cogeretur: se ei, si vellet, Ferrariam habere permissurum, Mutina modo sibi Regioque Lepidi cederet: quorum tamen oppidorum alterum se jam suum fecisse. quam quidem cogitationem suam Julius reipublicæ legatis aperuerat, illi ad Decemviros literas ea de re dederant. Patres consulto Decemvirum collegio, eam Julii moderationem proumque ad pacis studia animum maximopere laudaverant, rescriptis ad legatos literis, easque literas legati Julio recitaverant.

*Julius ad  
exercitum se  
conferre  
VIII. non.  
januar.*

Sed Julius, uti dictum est, quanquam hyems durissima ingrueret, lutosissimæque essent viæ, & nix largiter cecidisset, ad vicina tamen Mirandulæ ædificia & agriculturalium casas lectica vectus se contulit: cumque suis ducibus parum confideret, belli munera per se se perque Paulum

*Julius Mi-  
randulam  
oppugnat.*